



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA PTOLEMAIDENSIS MELCHITARUM*

ECCLESIA EPISCOPALIS PTOLEMAIDENSIS MELCHITARUM
AD GRADUM ARCHIDIOECESIS EVEHITUR.

Episcopalis synodus Melchitarum, quae die altero et vicesimo mensis Augusti, hoc anno, in patriarchalibus aedibus ad oppidum vulgo Ain- Traz nuncupatum habita est, statuit ut episcopalis Sedes Ptolemaidensis Melchitarum, iustis quidem de causis, ad archiepiscopalium ordinem tolleretur. Admotis autem ad Nos precibus venerabilis Fratris Maximi IV Saigh, Patriarchae Antiocheni, Alexandrini et Hierosolymitani Melchitarum, qui verbis venerabilis Fratris Angeli Dell' Acqua, Archiepiscopi titulo Chalcedonensis atque Secretariae Status quae dicitur Substituti, hodie petiit ut synodale huiusmodi consilium auctoritate Nostra apostolica de more confirmaremus, libenti animo accedentes, Sedem *Ptolemaidensem* Melchitarum, hactenus episcopalem, ad gradum et dignitatem *archiepiscopalis* redigimus, cunctis factis iuribus et privilegiis, quae eius ordinis Ecclesiis competunt. Ut vero has sub plumbo Litteras ad effectum adducat curet venerabilis Frater Maximus IV Saigh, quem diximus, vel quem ille delegaverit, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus vir. Qui autem rem perfecerit congrua documenta exaranda studeat, eaque rite signata sigilloque impressa ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali quam primum mittat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimeno mensis Novembris, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri altero.

IACOBUS A. Card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

GUSTAVUS Card. TESTA

S. Congr. pro Ecclesia Orient. a Secretis

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Ioannes Calleri, *Proton.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 9, pp. 629-630 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana